

# Gymnasio Kniphoviensi

Civitatis Regimontanae beneficio ac liberalitate

feliciter instaurato

laeta faustaque precatur

**Frid. Leon. Lentz.**

Nunc, Alberte, preces fundere supplices  
Nunc et vota juvat mittere, quum tua

Exspectata per annos

Intramus penetralia.

Nam Tu, quod studiis artibus et bonis  
Templum condideras, ecce novum exstitit

Nobis, nec Tua alumnos

Albertina tenet suos,

Verum amplas juvenum laeta cohors capit  
Jam sedes alias, magnificum decus:

At nobis rediviva

Arridet Tua nunc domus.

In qua, dive, precor mens habitet Tua,  
Servarique velit grata modestia:

Tu nos introeuntes

Fausto prosequere omine.

Huc nobis Pietas Relligioque ades:  
Quid magnae sine te sunt sapientiae?  
Quid prosunt bene docta  
Te non sospite pectora?

Civitatis Rediutumque pedestre ille  
Adsis o Probitas sanctaque Veritas,  
Virtutumque chorus recta jubentium:  
Vos mores puerorum  
Emollite nimis truces.

Et Te jam, Lutheri docte comes, voco,  
Germanorum animos qui erudiens feros  
Priscarum ad monumenta  
Duxisti sacra gentium.

Tu succende faces sidereas, precor,  
Doctrinae, ut bona vis splendeat ingeni  
Neu mens luminis expers  
Labatur tenebris data.

O templum ingenuis Palladis artibus  
Musarumque sacris muneribus datum.

Tu frugem ingeniorum,  
Tu mores videas bonos

Multorum seriem, tu doceas viam  
Saeclorum juvenes ad sapientiam,  
Ad vitamque beatam.  
Mors vita est sine literis.